

signatâ ordinis ratione discesserit, hoc idem licet in alium, tamen
in ordinem relabatur, ne quid in regnô providentia liceat teme-
ritati.

§. 16. Dicis: Deum esse nullô modô posse demonstrari, cum
sit propositio per se nata, & ita firma, ut ejus contrarium,
scilicet nullum Deum esse, cogitari non possit. Ad hoc re-
spondemus Thomam 1. part. Summa Theol. qu. 2. art. 2. concl. 1.
propositionem per se notam dividere in *per se notam secun-
dum se* & *per se notam quoad nos*, in quam divisionem acriter
invehuntur Scotus & Nominales. Dicitur autem propositio
per se nota secundum se, in quâ prædicatum est de ratione & es-
sentiâ subjecti. *Per se nota quoad nos* vocatur, cujus verita-
tem simul ac terminos apprehendimus, absque interventu
discursus vel mediî termini assequimur. Jam quidam sunt,
qui volunt hanc propositionem: *Deus est*: esse per se notam
secundum se & *quoad nos*. Ita Albertus part. 1. tr. 4. membr. 4.
Ita Thomas cit. l. & qui eum sequuntur. Gregorius de Va-
lentiâ in Thomam c. l. adhuc aliam refert sententiam eo-
rum scil. qui dixerunt hanc propositionem; *Deus est*: non
esse per se notam neque *secundum se* neque *quoad nos*. Hanc
sententiam tribuit quidam Scoto quoque, sed mens Scoti hæc
non est. Docet is *Deum esse*, sub propriâ & quidditivâ ratio-
ne esse propositionem per se notam, imò notissimam, sed
non *quoad nos*. Thomæ sententiæ nos hîc subscribimus. Et
(1) quoniam in hâc propositione *Deus est*, prædicatum con-
venit subjecto *immediate*, propositio illa est per se nota *secun-
dum se*. (2) Quia de Deo nihil cognoscimus absque interven-
tu *Discursus* (nam quodcunque naturaliter cognoscimus, id
omne ductu sensuum cognoscimus juxta illud Philosophi 3.
de Animâ: *Nihil est in intellectu, quod non prius fuerit in sensu*.)
hæc propositio, *Deus est*, non est per se nota quoad nos.

§. 17. Hîc communiter solent distinguere inter notitiam
Dei